

Carmina

Martinus Bracarensis

IN BASILICA

Post evangelicum bissemi dogma senatus,
Quod regnum Christi toto iam personat orbe,
Postque sacrum Pauli stilum, quo curia mundi
Victa suos tandem stupuit siluisse sophistas,
Arctous, Martine, tibi in extrema recessus
Panditur inque via fidei patet invia tellus.
Virtutum signis meritorum et laude tuorum
Excitat affectum Christi Germania fricens,
Flagrat, et accenso Divini Spiritus igne
Solvit ab infenso obstrictas Aquilone pruinas.
Immanes variasque pio sub foedere Christi
Adsciscis gentes. Alamannus, Saxo, Toringus,
Pannonius, Rugus, Sclavus, Nara, Sarmata, Datus,
Ostrogothus, Francus, Burgundio, Dacus, Alanus,
Te duce, nosse Deum gaudent. Tua signa Suevus
Admirans didicit fidei quo tramite pergat,
Devotusque tuis meritis haec atria claro
Culmine sustollens, Christi venerabile templum
Constituit, quo clara vicens, Martine, tuorum
Gratia signorum votis te adesse fatetur
Electum, propriumque tenet te Gallia gaudens
Pastorem, teneat Gallicia tota patronum.

ITEM EIUSDEM IN REFECTORIO

Non hic auratis ornantur prandia fulcris
Assyrius murex nec tibi simma dabit.
Nec per multiplices abaco splendente gavessas
Ponentur nitidae codicis arte dapes.
Nec scyphus hic dabitur, rutilo cui forte metallo
Crustatum stringat tortilis ansa latus.
Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quaeque Sarapteno palmite missa bibas,
Sed quidquid tenuis non compleat copia mensae
Suppleat hoc, petimus, gratia plena tibi.

EPITAPHIUM EIUSDEM

Pannoniis genitus, transcendens aequora vasta,
Galliciae in gremium divinis nutibus actus,
Confessor Martine, tua hac dicatus in aula,

Antistes cultum institui ritumque sacrorum,
Teque, patrone, sequens famulus Martinus eodem
Nomine, non merito, hic in Christi pace quiesco.